


CAPVT XVIII.

TITVLI INSTRVMENTI DOMESTICI.

8561



Manios med<sup>1</sup> fhe shaked<sup>2</sup> Numasioi<sup>3</sup>.

*Fibula aurea Praeneste in sepulcro antiquissimo rep., est Romae in museo Kircheriano (I ed. 2 n. 3, XIV 4123 delineavit Dümmmler Mitth. d. arch. Instituts roem. Abth. II 1887 p. 40). Scripta est a dextra ad sinistram, litteris antiquissimis (S pro S, B pro H); puncta (parum bene expressa in nostra imagine) duplicia sunt, unum (cf. not. 2) triplex (similiter ut supra N. 4913). — 1) Similiter in vasculis supra N. 5256, infra N. 8562. — 2) Sic legendum (inter fhe et shaked punctum triplex; post alterum FH errore ut videtur incisa est I et rursus expuncta). Intellege: fecit. Valde memorabile est in hoc titulo FH pro simplici F. — 3) Numero (Numisio). — Tractavit Buecheler rhein. Museum 1887 p. 317 seq.*

8562

1.

Novios Plautios med<sup>1</sup> Romai fecid<sup>2</sup>.

2.

Dindia Macolnia<sup>3</sup> fileai<sup>4</sup> dedit.

*Vasculum aeneum prope Praeneste repertum, notum sub nomine cistae Ficonianae, extat Romae in museo Kircheriano: inscriptiones leguntur in manubrio, id est in lamina aenea sigilla Bacchica sustinente quae operculo vasculi adferruminata pro manubrio vasculi est (I 54. XIV 4112. Ritschl 1A). — 1) Cf. N. 8561. — 2) Videtur Novius Plautius manubrium tantum caelavisse, ipsi vasculo faciendo adhibuisse laminam longe elegantioris caelaturae. — 3) Magulnia (Magulniorum nomen non infrequens Praeneste, cf. C. I. L. XIV p. 518; de binis nominibus feminarum Praenestinarum vide supra N. 7819<sup>v</sup> n, et in univrsam W. Schulze lat. Eigennamen p. 515. 595). — 4) Sic primi legerunt Schoene et Tongiorgi (antea filea).*

*Multa alia vascula eiusdem generis prope Praeneste reperta sunt, in his nonnulla inscriptionibus exornata, sed quarum nulla artificem memorat; cf. C. XIV 4403—4411, et iam I ed. 2 n. 562 seq.*